

## † Fr. Iosephus (Gabriel) Stehr.

*(Prov. Vindobon.).*

Iosephus Stehr e Silesiae vico Polnische Wette oriundus die 4 maii a. 1861 natus est parentibus pauperibus quidem, sed industriis ac piis, e

septem germanis tertius. Iam puer fratribus sororibusque religionis, pietatis, oboedientiae industriaeque exemplo praeiuit. Decennis fidibus canere didicerat, qua arte in ecclesia ad functiones sacras usus est. Ad altare servire in deliciis habuit. Patre a. 1871 orbatus ad studia altiora ob matris tenuitatem transire non potuit. Itaque cum Bremis ab avunculo pistore male habitus esset, mater eum Dei sane ductu, ut exitu monstratum est, fabro lignario erudiendum tradidit. Apud quem Iosephus tantum profecit, ut biennio tirocinium absolveret, quo facto opificum morem secutus peregre profecturus erat, ut in aliis officinis laborando artem suam excoleret. At Deo favente hac via ad Congregationem perductus est.

Glacii, ubi in disciplinae puerilis ludo famulum egit, viri piissimi Antonii Ullrich, cui vulgus sancti cognomen addiderat, amicitia usus de capessenda vita religiosa cogitare coepit. Sed cum matris egestati subveniendum esse putaret fratrique minori Aloisio in studiis litterarum

mercede sua subsidium ferre vellet, sex annos in ludi illius servitio, duos vero apud parochum Jahnel mansit. Qui cum Berolinum demigrasset, Iosephus iterum baculo arrepto in Alpes se convertit ac tandem in vico quodam Tirolensi ad artis suae magistrum, hominem bonum, devertit. Anno 1887 ibi a tribus Patribus nostris habita renovatione in Iosephi animo vocatio religiosa revixit. Litteris itaque hinc inde missis a superiore provinciae P. Andrea Hamerle admissus die 9 novembris a. 1888 Eggenburgi vestem fratris laici nomenque Gabrielis accepit. Priore ac





tribus annis post altero noviciatu optime peractis tandem die 3 maii a. 1893 triginta duos annos natus ad vota nuncupanda admissus est.

In collegium Ketzelsdorfense ac mox Zwittaviam missus deinde arte sua lignaria in instruendis suppellectili nova domo et ecclesia, quae tum Zwittaviae aedificabantur, multum desudavit.

Lincii in urbe Austriae superioris capite a cive quodam fundo nobis oblato novae domus condendae consilium initum erat. Eo Fr. Gabriel die 28 februarii a. 1899 primus altero tantum fratre laico comite missus est. A primis his initiis, quae ipse facete stabuli bethlehemitici nomine insignivit, usque ad finem fere vitae deinde huic domui servivit. Ac primum quidem domunculam ac sacellum, quibus nostri interim uterentur, suppellectili instruxit. Deinde vero, cum collegium et magna ecclesia aedificarentur, Fr. Gabriel artis suae subtilis ac perfectioris multa ibi documenta constituit. Ita scamna ecclesiae perpulchra, in domo nostra fenestrae foresque ex eius manibus prodierunt.

Nec solis his fabri lignarii operis collegio ecclesiaeque Linciensi profuit. Ad ecclesiam aedificandam fundus quidem nobis oblatus erat, sed pecunia deerat, quae populi pia liberalitate corroganda erat. Cuius rei causa praeside P. Georgio Freund coetus constitutus est, qui ecclesiae aedificandae pecuniaeque corrogandae curam gereret (*Herz Jesu-Kirchenbauverein*). Fr. Gabriel autem superioribus volentibus onus in se suscepit non ad collegii nostri vitam sustentandam mendicandi (quod constitutionibus vetatur), sed stipem ad ecclesiam aedificandam exornandamque coetus illius nomine colligendi, rem sane difficilem et molestam. Lincii, cum a proceribus repulsam tulisset, consiliis cum viro quodam experto e coetu benefico S. Vincentii a Paulo collatis a tenui virgine, quae acu victum quaerebat, primam stipem accepit. Inde per nonnullos annos vultu comi moribusque amabilibus, quidquid temporis ab officina abesse poterat, urbem rusque peragrans satis magnam pecuniae summam collegit, quod in comitiis coetus illius ecclesiae aedificandae addicti a. 1911 magna laude comprobatum est. De difficultatibus aerumnisque, quas tum perpessus est, Fr. Gabriel conquestus non est; e paucis tantum commentarioli eius verbis aliqua suspicari licet.

Hieme a. 1923 ad 1924 Fr. Gabriel multum temporis aeger decubuit. Sub caelo patrio Silesiae paulisper viribus reffectis, cum domus Linciensis derelicta esset, mense novembri Gurcam missus est, ubi in nova domo iterum fabri lignarii arte opus erat. At morbus non erat sublatus. Medicina quidem bonus frater utendum esse dixit, ut Dei voluntati obtemperaremus, sed ipse placidus mortem prope adesse sensit. Valde laetabatur, cum fratrum aliquis eum aegrum invisit, hilarique vultu ipse omnes oblectabat. Die 7 ianuarii 1925 s. viatico et extrema unctione munitus cotidie Pane angelorum recreari voluit. Ultimo die dominico, 17 ianuarii saepe



repetiit: « Veni, Pater caelestis, in patriam me deducas » et filiali fiducia affectu Beatae Virgini se commendavit. Post meridiem cum fratre quodam laico sedens vel in cubiculo ambulans iterum atque iterum rosarium recitavit. Qui cum abiisset, alter mox veniens Fr. Gabrielem non vidit. Mortuus enim sub mensam corruerat. Primus e nostris in parvo coemeterio intra horti saepta conditus est.

Fr. Gabriel non solum artifex peritissimus fuit, sed prae ceteris perfectionis sectator assiduus. In eius commentariis vitae in Christo absconditae ratio descripta invenitur has cotidie partes continens: 1) Diei consecrationem, 2) Dei laudes, 3) laudes Mariae, 4) patronum caelestem, 5) orationem, 6) virtutem exercendam, 7) conscientiae examen, 8) actus contritionis ac propositi, 9) paenitentiam. Qui ordo per hebdomadam dispositus aliisque duobus libellis accuratius expositus testis est hanc fuisse eius assiduam in vita spiritali curam. In noviciatu septem libellos preces considerationesque continentes confecerat, quibus per totam vitam assidue usus est. Praecipua devotione SS. Trinitati deditus fuit. Preces ad eam directae iterum atque iterum recurrunt.

Sub initium saeculi nostri de vita in altiore solitudine ordinis Trappistarum capessenda cogitavit. At litteris paternis a Rmo P. Generali Raus acceptis statim atque omnino acquievit. Amore Congregationis plenus erat. Cum de Analectis nostris edendis audivisset, gavisus id unum se desiderare professus est, ut simile aliquid in fratrum laicorum usum ederetur, unde ipsi quoque lingua sua cognoscere possent, quidquid ubique terrarum in Congregatione gereretur.

Cum Marthae igitur laboribus Mariae quietem coniungens, ut fratrum constitutio monet, non communem tum manu tum spiritu vitam duxit, dignus sane, cui aliqua hic memoria concederetur. R. i. p.!